Quelle: http://manuscripta.at/?ID=35536
Copyright: Neustift/Novacella, Augustiner-Chorherrenstift

Munire digneris me Domine Jesu Christe ab omnibus insidijs inimicorum omnium, signo sanctissimæ crucis tuæ: ac concedere digneris mihi indigno servo tuo, ut sicut hanc crucem Sanctorum tuorum reliquijs refertam ante pectus meum teneo, sic semper mente retineam, & memoriam passionis, & sanctorum victorias Martyrum.

Ad Stolam.

Redde mihi Domine, obsecro, stolam immortalitatis, quam perdidi in prævaricatione primi parentis: & quamvis indignus accedere præsumo ad tuum sacrum mysteriũ cum hoc ornamento, præsta ut in eodem in perpetuum merear lætari.

Ad Tunicellam.

Tunica jucunditatis & indumento lætitiæ induat me Dominus.

Ad Dalmaticam.

Indue me, Domine indumento salutis, & vestimento lætitiæ, & Dalmatica justitiæ circumda me semper.

Ad Chirothecas.

Circumda, Domine manus meas munditia novi hominis, qui de cœlo descendit: ut, quemadmodum Jacob dilectus tuus pelliculis hoedorum opertis manibus paternam benedictionem oblato patri cibo, potuque gratissimo impetravit; sic & oblata per manus nostras salutari hostia, gratiæ tuæ benedictionem merear. Per Dominum nostrum Jesum Christum, filium tuum, qui in similitudinem carnis peccati pro nobis obtulit semetipsum.

Ad Planetam.

Domine, qui dixisti: jugum meum suave